



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Compendium Privilegiorum, Et Gratiarum Societatis Jesu

Pragae, Anno M.DCC.III.

VD18 13723553

A.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65423)



# ABSOLUTIO

§. I.

*Facultas absolvendi quoscumque ab omnibus; exceptis, qua in Bulla Coenae.*



**O**MNES Confessarii Societatis habent facultatem absolvendi quoscumque Christi fideles, ad eos undecumque accedentes, eorum Confessionibus diligenter auditis, à quibuscumque peccatis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis; & à quibuscumque sententiis, censuris, & poenis Ecclesiasticis, ex illis resultantibus; iis exceptis, quæ in Bulla Coenæ Domini continentur. PAULUS III. litteris Apostolicis pag. 7. Et Gregorius XIII. vivæ vocis oraculo, facto P. Francisco Toletio die 2. & iterum 10. Maji 1583. declaravit, posse Societatem frui privilegio Paulino, nuper citato, non obstante epistolâ quadam S. Congregationis, approbante Sanctitate suâ, Revocatoriâ hujusmodi facultatis Regularibus concessæ, quò

A 5

ad

ad casus Episcopo reservatos. Habetur in lib. M. S. V. V. O. pag. 131. Quæ tamen sublata est Decretis S. Congregationis Conc. approbatis à summ. Pontificibus Clem. VIII. 1. Jan. 1601. & 26. Nov. 1602. Paulo V. 7. Janu. 1617. Urbano VIII. 17. Novem. 1628. apud Augustinum Barbosam de Potestate Episc: P. 3. Alleg. 50. & à Bulla Clem. X. data 11. Kal. Jul. 1670, Incipit *superna*: est 7. in Bull. Comm. §. 6. & 7. in qua §. 6. sic habetur: *Ex facultatibus per Mare Magnum, aliave privilegia, Regularibus cujuscumque Ordinis, Instituti, aut Societatis, etiam Jesu, concessis, factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus, ab Episcopo sibi reservatis &c.* Et §. 7. *Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolica reservatis, non ideo à casibus Episcopo reservatis posse absolvere.* Et Alex: VII. die 24. Sept. 1665. damnavit hanc propositionem: *Mendicantes possunt absolvere à casibus, Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate.*

*Hec facultas, additâ extensione, de qua fit mentio verbo Confessarius. §. 2. communicatur omnibus Confessariis à Superioribus deputatis, & ab Ordinario loci, juxta formam Concilii Tridentini sess. 23. c. 15. de Reform. approbatis, præterquam respectu excommunicatorum generaliter ab homine, quos Superio-*

res tantum, & ii, qui ab eis specialem licentiam obtinuerint, poterunt absolvere: excommunicatos autem nominatim ab homine, & illos regulares, qui licentiam non habuerint, extra suum Ordinem confitendi, nē Superiores quidem absolvent.

Admoneantur autem poenitentes, absolutionem à censuris, quam à Nostris obtinuerint, nihil sibi prodesse in foro exteriori.

*§. 2.**Facultas quorumlibet audiendi Confessiones.*

Nostris Sacerdotes, qui ad Confessiones audiendas generaliter idonei visi fuerint, generaliter quoque, & indistinctè absque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum, in diocesi propria ab Episcopis admittendi sunt. Clem. X. in Bulla proximè citata, §. 4.

*§. 3.**Etiā Familiarium.*

Superiores, & Confessores, ad Nostrorum Confessiones audiendas deputati, possunt easdem excipere ab illis secularibus, qui in Nostris Domibus sunt verè de familia, & continui commensales: non tamen illorum, qui tantum ipsis deserviunt. Clem. X. uti supra.

## §. 4.

*Hanc facultatem Episcopi non possunt adimere.*

Episcopi nullatenus possunt, inconsultâ Sede Apostolicâ, Confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Domus Confessoribus adimere. Imò neque particulari alicui, cui ipsemet Episcopus, prævio examine, simpliciter, & sinè ulla temporis præfinitione eam facultatem indulserit: neque iterum eundem ad examen vocare, exceptâ novâ superveniente causâ, & ad ipsas Confessiones pertinente. Clem. X. *ibid.* §. 5.

## §. 5.

*In partibus remotissimis absolvere possunt etiam à Casibus Bullâ Cœnae contentis.*

Præpositus Generalis potest concedere iis, quos miserit ad Infidelium terras, aliâsque Provincias remotissimas, à quibus non potest adiri Sedes Apostolica, auctoritatem absolvendi Christianos, ibi commorantes, à casibus etiam in Bullâ Cœnae contentis. Paulus. III. per Bullam pag. 14. & Clem. VIII. per Bullam, datam 2. Jul. 1604. Incipit: *Dominici Gregis*: est 18. in Appendice Bullarum Regularium Emmanuelis Rodericii.

## §. 6.

## §. 6.

*Facultas absolvendi diripientes  
bona naufragantium.*

Possunt Confessarii Societatis absolvere eos, qui bona naufragantium rapuerint, injunctâ eis restitutione, ubi & quomodo ea fieri poterit. GREG: XIII. die XVIII. Maji, M.D.LXXXIV. in V.V.O.M. S. pag. 133.

## §. 7.

*Facultas absolvendi ab hæresi.*

Potest Præpositus Generalis per se, vel per alios, absolvere quoscumque ab hæresi in foro conscientiæ. Concessit JULIUS III. Vivæ vocis oraculo authenticato, die Ascensionis Domini 1551. in M. S. p. 9 & postmodum per Breve, ut in impressis, p. 22. Et quoniam concessio illa Julii à Pio IV. & V. fuerat limitata ad certas Provincias; Gregor: XIII. die 18. Martii 1584. indulgit V. V. O. ut maneret in suo primo vigore, exceptâ Hispaniâ; nec intelligeretur revocata per Bullam Cœnæ, quolibet tempore promulgandam. Habetur in V. V. O. M. S. p. 133. Postea die 20. Jan. 1585. idem Pontifex V. V. O. concessit, ut, ubi Nostri possunt absolvere ab hæresi, possent etiam absolvere, ab apostasia à Fide, ut habetur ibid. pag. 134. Et cum ex Decreto quodam Sixti

V. declaratum fuisset, Nostris non competere facultatem absolvendi manifestos hæreticos; Clemens VIII. die 16. Novembris. 1592. declaravit P. N. Claudio, ejusmodi Decretum intelligendum solum pro Hispania & Italia. Habetur ibid. pag. 135. Et quò ad Hispaniam quidem, Societas renunciavit cuicumque privilegio, quod haberet, absolvendi hæreticos, ut in Decr. 21. Cong. 5. At in Italia Clemens VIII. noluit, quempiam absolvi posse à Nostris ab hæresi, & lectione librorum prohibitorum, præter Transalpinos. Habetur ibidem.

*Communicatur Provincialibus, sed extra Hispaniam, ut habet privilegium, cum potestate, ut re mature considerata, quando sibi videbitur in Domino expedire, in casibus particularibus possint id aliis communicare.*

## §. 8.

*Facultas absolvendi à lectione librorum prohibitorum.*

Facultatem absolvendi quoscumque à lectione librorum prohibitorum in iis locis, ubi possumus absolvere ab hæresi, concessit GREGORIUS XIII. die VI. Novembris anno Domini 1583. prout in Vivæ vocis ora-

cis oraculis. M. S. pag. 132. & Paul. III.  
& Jul. III. per Bullas suprà citatas §. 5. & 7.

Conceditur omnibus Superioribus, & iis,  
quibus ipsi communicaverint. Sed si libri  
prohibiti editi sunt, ad stabilienda dogmata  
heretica, non poterunt communicare hanc fa-  
cultatem, nisi in casibus particularibus, per-  
spectis circumstantiis.

In iis verò provinciis, in quibus ex peculia-  
ri concessione amplior esset facultas, liber per-  
mittitur illius usus.

## §. 9.

*Facultas absolvendi missos ad triremes.*

Qui mittuntur ad triremes, possunt ab-  
solvì per Nostros à quibuscumq; casibus,  
sicut in articulo mortis. Pius IV. in Vi-  
væ vocis oraculis. M. S. pag. 30.

Hæc facultas absolvendi damnatos ad tri-  
remes, omnibus Superioribus communicatur,  
& iis quibus ipsi commiserint. Quod autem  
attinet ad casus Bullæ Cœnæ, videantur, qua  
inferius dicuntur in verbo Bullæ Cœnæ.  
Idque in sequentibus §§. quoad eosdem casus  
etiam observetur.

## §. 10.

*Facultas absolvendi Nostros ab omnibus.*

Li qui sub Obedientia & correctione So-  
cietatis degunt, possunt absolvi per Præ-  
positum Generalem, & alios, quos ipse  
depu-

deputaverit, ab omnibus peccatis, ante vel post ingressum Societatis commissis, & ab omnibus Ecclesiasticis, & secularibus sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, latis, præterquam ab his quatuor, quæ in Bulla SIXTI IV. continentur, nempe relapsus in hæresim, schisma, litterarum Apostolicarum falsificatio, & delatio prohibitorum ad infideles. Habetur per Bullam pro Prædicatoribus datam pridie Kal. Sept. 1474. Incipit: *Regimini universalis*: est 33. in Bull. Regular. Rodericii in num. 13. & ejusdem Pontificis pro Carmelitis datam 4. Kal. Decem. 1476. Incipit: *Dum attenta*: est 37. ibid. in num. 62. & Julii II. pro iisdem Prædicatoribus dat. 27. Febr. 1510. Incipit: *Exponi Nobis*: est 17. ibidem: ubi inter superius excepta addit conspirationem in Romanum Pontificem: quò ad reliquos verò casus, præter hos quinque, declaravit, non obstare publicationem Bullæ Cœnæ, & derogationes, in eâ contentas. Volentes tamen ingredi Societatem, & absoluti, ut præfertur, reincidunt in pristinas sententias, nisi mox ingredi, & peractis experientiis secundùm Constitutiones Societatis, vota emittere parati sint, etiamsi super hoc induciæ eis à Prælati Societatis concedantur. PAULUS III. in litteris Apost. pag. 11. & seqq.

*Absolutio.*

9

*Communicatur hæc facultas Superioribus, & iis quibus ipsi commiserint; exceptâ hæresi, & apostasiâ ab Ecclesia, incursis post ingressum in Societatem, quæ Præposito Generali reservantur.*

§. 11.

*Facultas Nostros absolvendi ab hæresi, & relapsu.*

Absolvendi ab hæresi, & à relapsu etiam in hæresim, eos omnes, qui sub Societatis Obedientia vivunt, si quis (quod Deus avertat) in eam incideret, etiam in Hispania, facultatem concessit GREGORIUS XIII. die 18. Martii. 1584. ut in Vivæ vocis orac. M. S. pag. 133.

§. 12.

*Facultas Nostros absolvendi ab hæresi & apostasia.*

Facultate concessâ Minoribus de Observantia Ultramontanis, possunt Præpositus Generalis, ac Provinciales Societatis Ultramontani, absolvere Nostros Ultramontanos sibi subditos; & dispensare cum eis, quoties opus fuerit à relapsu in hæresim, aut apostasiam; & eorum pœnas à jure constitutas commutare, augendo vel minuendo, pensatis qualitate, & quantitate,

tate, aliisque debitis circumstantiis: dummodo talium relapforum crimina publica, & notoria apud sæculares non sint, ut ex hoc scandalum oriri possit. Fuit V. V. O. Alex. VI. non authenticatum, ut refertur in Comp. Privil. Minorum. V. *Absolutio Ordinaria quò ad Fratres. n. 18. & V. Hæresis, & Hæreticus n. 3.*

*Si quis ex nostris (quod Deus avertat) indigeret absolute, de qua proximo & precedenti §. agitur, quando res non est dubia, facultas absolvendi reservatur Præposito Generali. Sed nè poenitens cogatur tamdiu sine absolute manere, communicatur Præpositis Provincialibus; ità tamen, ut moneatur poenitens, manere sub poena peccati mortalis integram obligationem, vel se Præposito Generali presentandi, vel rem eidem manifestandi, eo modo, qui servatà sigilli integritate, Provinciali videbitur.*

§. 13.

*Facultas Nostros absolvendi, in sæculo excommunicatos ob delationem lignaminum ad infideles.*

Præpositus Generalis, ac Provinciales, possunt absolvere Nostros, qui existentes in sæculo, incurrissent censuram Ecclesiasticam propter delationem lignaminum, seu ferramentorum ad partes infidelium. Id habetur ex concessione Alexand. VI. de qua

qua supra §. 12. n. 19, & à Pio V. pro Benedictinis, per Bullam datam Idibus Junii, 1571. Incipit: *Dum ad Congregationem*: est 129. in Bull. communi in n. 1. Pontifex nullum casum excipit ex reservatis etiam in Bulla Cœnæ.

*Hæc facultas communicatur omnibus Superioribus, & aliis Confessariis, quibus ipsi judicaverint.*

## §. 14.

*Facultas absolvendi Nostros ab omnibus, etiamsi consulenda esset Sedes Apostol.*

Per Privilegium Benedictinis concessum, ut in manuscriptis fol. 38. possunt Præpositi Domorum ac Rectores absolvere omnes, qui in Societate proposuerunt, perpetuum Deo reddere famulatum, à quibuscumque peccatis, & quacumque sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti, etiam si talia forent, propter quæ Sedes Apostolica esset consulenda; præmissâ ex parte eorum satisfactione, & impositâ eis per eos pœnitentiâ. Hoc fuit Oraculum Eugenii IV. Signaturâ Cardinalis munitum, ut in Bull. Regul. Roderici, in Bulla 1. Adstipulantur Pius V. n. 9, in Bulla proximè citata: & Sixtus IV. pro Carmelitis in n. 15. Bullæ supracit. §. 10.

*Hæc*

*Hæc facultas communicatur Superioribus in ea nominatis, præterquam in his, quæ excepta fuerunt supra §. 10. 11. & 12.*

## §. 15.

*Interdicitur usus Cruciatæ, Jubilæorum, &c. quoad absolutionem.*

Declarat Summus Pontifex, non esse, nec fore unquam mentis suæ, aut Sedis Apostolicæ, ut personæ Societatis, absque expressa Superioris ejusdem Societatis licentia, utantur facultatibus, quæ in Jubilæis, Bullis Cruciatæ, Confessionalibus, aut aliis quibusvis Apostolicis indultis, quæ Communitatibus, aut privatis personis, aut piis locis, quomodocumque aliter hucusque concessa sunt, aut in posterum concedentur; etiamsi in illis expressè indulgeatur, ut omnes Regulares, etiam Mendicantes, ejusmodi facultatibus uti possint. Si quando autem usus aliquarum ex hujusmodi facultatibus, personis de dicta Societate à Superioribus ejusdem Societatis concedetur, nulli earum licere nisi intra numerum eorum, qui ad Confessiones personarum ejusdem Domûs, aut Collegii audiendas deputati sunt, Confessarium eligere, nisi ratione itineris, aut alia de causa, ab eisdem Superioribus, aliis Confessariis, intrâ aut extra Societatem, confitendi facultas ad id specialiter daretur: secusque facta irrita & inania

inania esse decernit GREGORIUS XIII. in litteris Apostol. pag 46. & seqq. Et quo ad usum Cruciatæ ex Breui Pauli V. dat. 24: Dec. 1608. & Gregorii XV. 26. Febr. 1622. & Urbani VIII. 31. Martii. 1629. in Bullario comm. est 115. & pro omnibus Religiosis ex Bulla Clem. VIII. data 23. Novem. 1599. Incipit: *Romanus Pontifex*: est 64. in Bull comm. & Urbani VIII. data 19. Junii. 1630. Incipit: *In specula*. Ubi ex certa scientia, & Motu proprio, deque Apostolicæ potestatis plenitudine declaravit, concessionem Cruciatæ, quantum ad prædictum articulum eligendi Confessarium, cum Regularibus quorumcumque Ordinum locum minimè habuisse, nec habere; neque illis ullo modo suffragari potuisse, neque posse. Ablatâ deinde facultate Nunciis Apostolicis, ac Cruciatæ Commissariis, aliter interpretandi; & declarat, Confessiones antea factas validas non fuisse, nec potuisse fieri; & pariter declaravit, inutiles fuisse, & falsos prætextus omnes, quibus aliqui prætendebant, ante declarationem novi Pontificis, limitantis suam intentionem, verba Cruciatæ generaliter intelligi de omnibus Religiosis.

*Superiores poterunt licentiam Nostri concedere, ad usum prædictarum facultatum, quoad casus reservatos & reliqua, si quando vide-*

videbuntur concedenda; Et quod ad indulgentias attinet, vide infra verbo Indulgentia ad finem.

Qualiter Superiores possint per seipsos absolvere Clericos Et Laicos sibi subditos, etiam ex vi Concilii Tridentini, vide infra verbo Prælati. §. 3.

Quoad modum absolvendi ab excommunicatione in foro conscientia, vide infra in verbo Excommunicatio. §. 2. Et quod facultates hoc verbo contenta, quæ Bullæ Cœnæ repugnant, hodie perseverent, vide verbo Bulla Cœnæ. §. 2.



## ÆDIFICIA.

§. I.

Facultas ædificandi, Et recipiendi  
Collegia, Et c.



ONCEDITUR Societati facultas ædificandi, & recipiendi, Collegia, Domos, Ecclesias, & Oratoria in quibuscunque mundi partibus: & inhibetur ac mandatur omnibus & singulis Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælati, & locorum Ordinariis, ac quibusvis aliis Potestatibus Ecclesiasticis, & sæcularibus, nè nos,

nos, aut nostras Domos, Ecclesias, aut Collegia ædificare volentes, quoquo modo in hujusmodi constructionibus impediant, perturbent, aut molestant. PAULUS III. pag. 13.

## §. 2.

*Idem concessit Pius IV. etiam intrà  
140. annas.*

Privilegium præcedenti §. contentum confirmavit, & de novo concessit Pius IV. etiam intrà centum quadraginta annas, à Conventibus aliarum Religionum, etiam Mendicatum, & non obstantibus earum privilegiis. Ac etiam mandavit Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis in dignitate constitutis, ut per se, vel alium, seu alios, quoties pro parte alicujus de Societate fuerint requisiti, privilegii hujusmodi litteras solemniter publicantes, faciant Nostros contentis in eisdem gaudere: non permittentes eos super his, aut eorum aliquem, per quorumvis Ordinum Religiosos, aut alias personas, etiam si Pontificali, seu Regali auctoritate fungantur, quovis quæsito colore, quomodo libet molestari. pag. 24. & seqq.

*Quamvis privilegia his duobus §§. contenta, per Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 3. de Regul. limitata fuerint, pristinam nihilominus*

lominus vim obtinent, per privilegium à Gregorio XIII. concessum post idem Concilium, ut §. sequenti habetur.

## §. 3.

*Privilegia aliorum Ordinum de non edificando intrà cannas, revocantur quoad Societatem.*

GREGORIUS XIII. privilegia aliorum Ordinum super non ædificatione intrà cannas, quoad Societatem tantum, Motu proprio suspendit, revocavit, & invalidavit; ac silentium perpetuum imposuit quibusvis contra præsentis privilegii tenorem venientibus, vigore cujusvis confirmationis, aut novæ concessionis dictarum cannarum, quomodolibet, & pari Motu, etiam consistorialiter, ac quibusvis derogationibus specificatis obtentorum, & in futurum obtinendarum. Insuper concessit Societatis Presbyteris, & ipsi Societati, ut quascumque Domos, Collegia, Ecclesias, & alia ædificia erigere, ac per eos ubivis locorum erecta inhabitare; ac quacumque loca, Domos, Ecclesias, Oratoria, & alia cujuscumque structuræ ædificia, ipsis quomodolibet relicta, vel oblata recipere, acceptare, emere, possidere, & retinere: ac in eis omnes & singulas functiones & ministeria Societatis exercere liberè & licitè possint. pag. 52. Ubi etiam privilegia supe-

superioribus §§. contenta confirmat; mandátque præterea, nè à locorum Ordinariis, aut aliis quibusvis, circa præmissa impediantur. pag. 53. Sed videnda Constitutio Urbani VIII. revocativa ex parte horum Privilegiorum; est 27. in Bull. comm.

*Domus & Collegia non possunt erigi sine speciali facultate Præpositi Generalis; ad quem etiam referenda res erit, antequam intrâ præfatum cannarum spatium à Conventibus aliarum Religionum ædificium erigatur. Quòd si aliquando periculum esset in mora, possunt Provinciales, adhibito suorum Consultorum Consilio, potestatem facere Nostris ædificandi, & habitandi intrâ cannas. De usu tamen hujus facultatis, & causis, propter quas opus fuerit eâ uti, ad Præpositum Generalem, cum primùm commode poterunt, referant.*

## ALIENATIO.

§. I.

*Facultas alienandi Domos, & Collegia, Generali conceditur.*



Er litteras Apostolicas JULII III. pag. 28. & seqq. potest Præpositus Generalis simul cum Congregatione Gene-

B

rali

um à  
onci-

2072

Ordi-  
anas,  
oprio  
ac si-  
con-  
ienti-  
, aut  
cum,  
onfi-  
nibus  
arum  
ocie-  
qual-  
s, &  
is lo-  
nque  
& alia  
quo-  
pere,  
nere:  
es &  
& lici-  
ilegia  
supe-

rali alienare Domos vel Collegia. Nec circa hoc quidquam in oppositum definit Bulla Pii V. pag. 33. siquidem de aliis agit contractibus.

## §. 2.

*Facultas alienandi stabilia, & mobilia pretiosa, Generali conceditur.*

Potest Præpositus Generalis Societatis pro tempore existens, vel ipsa Societas, dum erit generaliter congregata, per se vel alios informatione extrajudicialiter, ac summarie & simpliciter accepta, vel etiam eâ omnino omiffâ, bona Domorum, etiam Probationis, Collegiorum, & aliorum locorum ejusdem Societatis stabilia, & etiam mobilia pretiosa, præsentia & futura, pro illorum utilitate, seu necessitate, quibuscumque personis, tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus, cujuscumque gradus, ordinis, & dignitatis existentibus, etiam Collegiis, Communitatibus, & Universitatibus, ad eam rationem, quæ, facilius inveniri potest, & pro pretio reperibili vendere, alienare, permutare, in emphyteusim, seu livellum, ad tres generationes, vel in aliud longum tempus dare, locare, etiam cum donationis seu investituræ receptione, ac repræsentata pecunia, sinè tamen diminutione soliti illorum redditus. necnon generaliter & specialiter obligare, & hypothe-

pothecare, super illis census quoscumque redimibiles imponere, & vendere: nec non de bonis eisdem compromittere, & quomodolibet super illis transigere; illisque simpliciter, vel liti desuper habitæ, & actionem etiam in non possessorem, cedere, & renunciare, utilitatemque venditionum, & aliorum hujusmodi, vel etiam necessitatem, aut aliam causam propter quam fiant, simpliciter, & absque figura judicii cognoscere, judicare, definire, & penitus terminare liberè & licitè. GREGORIUS XIII. in litteris Apostolicis pag. 69. & seq. ubi aliam extendit facultatem, de qua pag. 55.

## §. 3.

*Sola sufficiunt patentes Generalis pro venditionibus, &c.*

Contrahentes, habitæ Præpositi Generalis, vel Congregatæ Societatis, per litteras patentes, more ipsius Societatis, vel alias, confirmatione, aut consensu, solo contractu securi existunt: nec tenentur demonstrare utilitatem, seu necessitatem venditionum, commutationum, & aliarum alienationum, de quibus §. præcedenti: nec itè tenentur pretium in æquivalentia vel meliora bona conversum, nec aliquid aliud demonstrare. Ibidem pag. 69.

## §. 4.

*Contractus initi, & ineundi, valent confirmatione Generalis, &c.*

Quicumque contractus super prædictis initi usque ad hujus concessionis tempus, perpetuò valent: partésque ipsæ ad illorum observationem omnino obligantur: & tam ipsi hætenus initi contractus, quam ineundi in futurum, quibus Generalis Præpositi pro tempore existentis, vel etiam Congregatæ Societatis, consensus seu confirmatio accesserit, aliâ Sedis Apostolicæ confirmatione, & approbatione non indigent. Ibidem.

*Informationes autem ad Præpositum Generalem mittenda, ut licentiam alienandi concedat, fiant juxta Instructionem ad Provinciales mense Augusto M. D. LXXX. transmissam.*

*Posse alienare mobilia non pretiosa, conceditur omnibus Superioribus, auditis Consultoribus. Pretiosa etiam que centum; Provincialibus verò que ducentorum ducatorum valorem non excedant, in utilitatem tamen Domorum, seu Collegiorum. Quæ verò ad Ecclesias pertinent, quamvis minoris pretii sint, non nisi in Ecclesia ornamenta pretium impendere possint.*

## §. 5.

*Facul-*

*Facultas vendendi, alienandi, &c.  
non obstante ultimâ testatorum  
voluntate.*

Posſunt Præpoſitus Generalis, ac Pro-  
vinciales, pro emergentibus neceſſitati-  
bus, & evidentibus utilitatibus Domorum,  
Collegiorum, & locorum Societatis, ven-  
dere, alienare, ac permutare quælibet bo-  
na immobilia, ac etiam ultra triennium  
locare, ultimis teſtatorum voluntatibus  
non obſtantibus, dummodo id in præ-  
dictorum utilitatem cedere dignoſcatur,  
habitâ diligenti informatione, à duobus,  
aut tribus bonis viris, locorum in quibus  
bona conſiſtunt: ſuper quo non modò  
eorum, ſed Præpoſiti Generalis, ac Pro-  
vincialium prudentia requiritur, & conſci-  
entia oneratur. Conceſſit LEO X. Mino-  
ribus, Litteris Apoſtolicis, dat. 27. Nov.  
1519. Incip. *Cum ſæpenumero*: ut in Bull.  
Regularium inter Bullas hujus Pontif. 26.

*Facultas hæc ſoli Præpoſito Generali reſer-  
vatur, nec niſi rariffimè eâ utetur. In illius  
autem uſu, non ſolùm mittatur ad Præpoſi-  
tum Generalem informatio, de qua in hæc  
ipſa facultate fit mentio, ſed ſervetur etiã  
Inſtructio, de qua proximè præcedenti §.4.  
dictum fuit. Habeatur etiam ratio Decreto-  
rum Apoſtolicorum Urbani VIII. dat. 7. Sept.*

1624. § 1. Martii 1626. apud Barbosam  
in Collectaneis. Coll. 19. V. Alienatio.



# ALTARE.

*Usus Altaris portatilis.*



Non obstante decisione Concilii Tridentini sess. 22. in Decreto de observandis & vitandis in celebratione Missæ, possunt Nostri Presbyteri in Missionibus, quæ à Superiore fiunt, servatâ aliâ formâ concessionis PAULI III. pag. 42. (videlicet cum debita reverentia & honore) Sacrificium Missæ super Altari viatico celebrare ubique gentium, etiam in castris militum, modò loca, etsi communia & profana, tuta & honesta sint; & Præpositus Generalis, aut per eum Provinciales Præpositi, eo tum utendum fore judicaverint. Poteruntque ibi ipsi Presbyteri sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ministrare fidelibus, ad illud sumendum debite præparatis. GREGORIUS XIII. pag. 63. Reliqua vide V. Missa.

Quomodo possint consecrari altaria Societatis, vide verbo *Ecclesia*. §. 1.

APO-



# APOSTATÆ.

## §. I.

*Ad sæculum recedentes sine Superioris licentia, excommunicantur, & nequeunt absolvi.*



**S**I quis post emissa vota secundum Societatis Constitutiones, ab ea ad sæculum recesserit, etiam prætextu cujusvis indulti, concessi aut concedendi, absque expressa sui Superioris licentia, ad id ab eo specialiter obtenta, ipso facto est excommunicatus: & absolvi nequit, nisi à Romano Pontifice, vel Superiore Societatis. Habetur in litteris à Pio V. editis pag. 31.

## §. 2.

*Deficientes à Societate subjacent pœnis &c. per Gregorium.*

Deficientes à Societate post tria vota, etsi simplicia, elapso biennio Probationis emissa, tamquam veros apostatas posse puniri; & excommunicationis latæ sententiæ, ac aliis apostatarum pœnis, Sedi Apostolicæ, vel Generali Præposito Societatis reservatis, subjacere; nec ante ab-

solutionem, & à Societate dimissionem, matrimonium contrahere posse, & aliter contractum, nullum, & irritum esse; habetur in Constitutione GREGORII XIII. pag. 76.

## §. 3.

*Isdem poenis subjacent fautores, &c.*

Per Privilegium concessum Eremitanis S. Augustini, Nostri ab Ordine recedentes, nisi post mandatum cujusvis Superioris eisdem factum, intra octo dies proximos ad Obedientiam redierint, excommunicationis latae sententiae poenam incurrunt, soli Summo Pontifici reservatam: eidemque sententiae subjacent omnes, qui iis auxilium, consilium, vel favorem praestiterint. Habetur ex Bulla Julii II. data 7. Octob. 1507. Incipit: *Ut Religioni tuae*. est 21. in Bull. Regular.

*Conceditur Provincialibus facultas absolvendi per se vel alios, eos qui sine licentia discessissent, postquam redierint.*

## §. 4.

*Nostros detinentes ipso facto excommunicantur.*

Per Privilegium concessum Minoribus ab INNOCENTIO IV. de quo in Monum. fol. 260. pag. 1. concess. 6, 1. & in eorum Comp. verbo *Apostata*, §. 3. qui retinent

ment Nostros, sinè licentia recedentes, ipso facto sunt excommunicati. Constat ex eodem Compendio hoc haberi per Bullam Authenticatam.

## §. 5.

*In apostatas Societatis potest Generalis animadvertere.*

Si quis animo indurato, post emissa vota sive Professorum, sive Coadjutorum, sive Scholarium, absque Superioris licentia exierit, & in sæculo, vel etiam in alio Regulari loco, degere præsumserit; licebit Præposito Generali, aliisque Superioribus Societatis, illum tamquam apostatam, etiam per auxilii brachii sæcularis invocationem, summarè & sinè figura iudicii, ad Societatem revocare, capere, & incarcerare, ac debitæ pœnitentiæ subicere. Pius V. in lit. Apost. pag. 31.

*Contra vagantes in sæculo transfugas omnibus Superioribus conceditur hæc facultas: sed contra comorantes in aliqua alia Religione, solis Provincialibus. Utrique verò circumspèctè, & habita ratione adificationis, eã utantur.*

## §. 6.

*Possunt capi & incarcerari, etiam in Curia Romana.*

Potest Præpositus Generalis per se, vel alios à se deputatos, Professos apostatas, etiamsi in Romana Curia inveniantur, capere, incarcerare, & aliàs suæ disciplinæ submittere, ex privilegio Carmelitis concessio, per Bullam Sixti IV. datam 4. Kal. Dec. 1476. Incipit: *Dum accurata: est* 37. in Bull. Regul. n. 92.

## §. 6.

*Possunt excommunicari, etiam in  
Romana Curia.*

Præpositus Generalis, aliique inferiores Præpositi, per se vel per alios, possunt sententiam excommunicationis in Societatis apostatas promulgare. PAULUS III. pag. 11. Potestque hoc idem Præpositus Generalis per se, vel per alios à se deputatos, si tales apostatæ sunt Professi, etiamsi in Romana Curia inveniantur. Ex privilegio Carmelitis concessio, ab eodem Potifice, & eâdem Bullâ, proximè citatâ. n. 93.

*Facultas hac conceditur Provincialibus.*

## §. 8.

*Facultas excommunicandi Professos,  
recedentes à Societate.*

Potest Præpositus Generalis, per communicationem Privilegii concessi Ministris & Custodibus Minorû, Professos à Societate disce:

discedentes excommunicare : eosque sic excommunicatione notatos tenentur Prælati, ab eodem requisiti, pro excommunicatis publicè denuntiari curare. Concessit INNOCENTIUS IV. per Bullam, datam 8. Kal. Maji. Pont. anno 4. Incipit: *Fratrum Minorum*. est 10. in Bullario Regularium.

*Hæc facultas communicatur Provincialibus, cum ea ratione, de qua in precedenti §. 3.*

## §. 9.

*De transitu ad alios Ordines, præterquam Carthusiensem.*

Nemo post emissa vota secundum Societatis Constitutiones, sive Professus, sive Scholaris, sive Coadjutor sit, ad alium Ordinem, præterquam Carthusiensem, nisi de expressa licentia ipsius Præpositi, aut Sedis Apostolicæ, transire potest. PAULUS. III. in lit. Apost. pag. 11. Idem cayetur, nè quis faciat sinè expressa licentia sui Superioris; & latius confirmatur à Pio IV. in litteris per Pium V. editis, ut patet pag. 31. & seq. proposita pœnâ excommunicationis ipso facto incurrendæ, Romano Pontifici, vel Superiori Societatis reservatæ, tam in Religiosos, qui præfatos recipiunt, quàm in ipsos receptos, recedentes, etiam prætextu

cujusvis indulti concessi, aut concedendi, etiam quæsito colore ob frugem melioris vitæ, aut strictioris observantiæ, quòdque secùs facta non teneant. Statuitur itè in iisdem litteris, quòd transeuntes ad Carthusienses intrà tres menses, ad alium verò Ordinem infra tempus eis à Superiore suo præfigendum, dictos Ordines actualiter ingredi; & si in illis permanere nolint, aut non possint, absque ulla mora ad Societatem regredi teneantur, sub præfata excommunicationis pœna; quam tam ipsi, quàm illos recipientes, vel eis auxilium, consilium, vel favorem præstantes, etiam incurrant.

## §. 10.

*Non licet transire ad Carthusienses,  
sinè licentia Generalis.*

Per privilegium concessum à Paulo V. Carmelitis discalceatis litteris datis 16. August. 1616. & Urbano VIII. Capuccinis dat. 9. August. 1628. Incipit: *Injuncti nobis*: est 91. in Bull. comm. Nullus è Societate transire jam potest ad Carthusianos, sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrendæ, nisi obtentâ licentiâ à Præposito Generali. Habetur etiã ex Bulla Martini V. Eugenii IV. Pii II. Innocentii VIII. & Gregorii XIII. pro Ordine S. Hieronymi in Hispania: quæ afferuntur in

Com-

Compendio Privilegiorum hujus Ordinis V. *Transseuntes.* & etiam ex Bulla Benedicti XI. pro Cœlestinis data 2. Idus Martii, 1304. Incipit: *Religiosam vitam:* est 2. Tom. 3. Bull. comm. in Appendice.

*Facultatem transeundi ad aliam Religionem dare poterit solus Præpositus Generalis.*

## §. II.

*Facultas procedendi tamquã in apostatas.*

Per privilegium Minimorum, si post licentiam à Præposito Generali obtentam ad aliam Religionem transeundi, ex ea post professionem emissam recesserint, & ad sæculum redierint, vel ad aliam laxiorem transferint, contra ipsos, ut contra alios apostatas, procedere possunt Societatis Superiores. Habetur per Bullam Julii II. dat. Kal. Aug. 1506. Incipit: *Virtute conspicuos:* est 26. in Bull. Regul. n. 17.

*Hæc facultas conceditur Provincialibus, eã tamen utantur remoto scandalo.*

## §. 12.

*Secundo transire ad Carthusienses non licet sinè consensu Generalis.*

Concessit Pius V. vivæ vocis oraculo, ut si quis ex nostra Societate in Carthusiensem Ordinem transire vellet, tres ei menses præscriberentur: intrã quos, si non in-

grederetur, vel non admitteretur, vel non perseveraret, redire teneatur, & non ei amplius liceret respectu Carthusiæ à Societate, sine Præpositi ejus consensu recedere. Habetur in Vivæ vocis oraculis M. S. fol. 43. Idémq; per Breve confirmavit, ac de novo concessit GREGORIUS XIII. & quoad præterita etiam valere, ac eos, qui secus fecerint, in excommunicationis, & alias apostatarū centuras, & pœnas eo ipso incurrere; à quibus non nisi à Romano Pontifice, vel à Generali Societatis Præposito absolvi posse decrevit. Et præsentis gratiæ communicationem omnibus aliis, etiam qui sua privilegia cum Societate participant, vel participare poterunt, prohibuit. pag. 79.

## §. 13.

*Professi è Societate egressi causa, etiam in Romana Curia, ad Papam advocatur.*

Facultate Canonicis Sancti Salvatoris, & Eremitis S. Augustini concessâ, si quis Professus è Societate egressus, causam super ea re in Curia Romana committi obtinuerit, ubi ad inhibendum, aut alia hujusmodi agendum itum fuerit, causa hujusmodi ad ipsum Summum Pontificem advocatur, omninóque extinguitur. Habetur ex

tar ex Bulla Julii II. datâ 17. Junii. 1508.  
Incipit: *Etsi ad bene merendum*: & est  
20. in Bull. Regull. & 18. in Bull. comm.

## §. 14.

*Professi Societatis ejeti nostra mini-  
steria exercere non possunt.*

Professis apostatis, sive pro suis culpis  
ejectis à Societate, nisi ad alium Ordi-  
nem de licentia Præpositi Generalis aut  
Provincialis, seu Summi Pontificis transf-  
ierint; inhibitum est, nè Confessiones au-  
dire, docere, seu prædicare præsumant.  
Quòd si aliud temere attentaverint, pos-  
sunt Generalis & Provinciales excommuni-  
cationis sententiam in illos promulgare.  
Concessit INNOCENTIUS IV. Minoribus,  
per Bullam datam 6. Id. Sept. anno 4. In-  
cipit: *Iustus petentium*: est 8. in Bull. Re-  
gul. Idem iisdem concessit Alex. IV. Bullâ,  
datâ 4. Idus Octobr. anno 1. Incipit *Peten-  
tium*: est 9. in eodem Bullario. & Mini-  
mis Julius II. Bullâ, datâ Kal. Aug. 1506.  
Incipit: *Virtute conspicuos*: est 26. ibid. in  
n. 18. & Prædicatoribus Greg. XI. dat. 2.  
Non. Martii anno 4. Inc: *Virtute conspicuos*.  
est 7. in Bull. comm. in n. 20. Et quò ad  
expulsos suspensio generalis illis imposita  
est ab usu Ordinis ab Urbano VIII. Decre-  
to, dato 21. Sept. 1624. quod legere est  
in Lau-



tis, Ordinationibus, correctionibus, & mandatis Congregationis Generalis, aut aliorum Superiorum, ad quemcumque, etiam ad Summum Pontificem & Sedem Apostolicam, nisi de speciali Summi Pontificis licentia appellare licet: appellationesque desuper pro tempore interpositæ, & inde secuta irrita habentur. Plures Pontifices per Bullas concesserunt Benedictinis S. Justinæ. Eugen. IV. Bullâ datâ pridie Kal. Jul. 1436. Incipit: *Regularem vitam*: est 9. in Bull. Regul. n. 1. & Greg. XIII. datâ 17. April. 1574. Incipit: *Nihil in unaquaque*. in Bull. comm. in n. 6. & Canonicis S. Salvatoris Julius II. dat. 2. Aprilis, 1512. Incipit: *Inter ceteros*: est 30. in Bull. com. n. 12. & Olivetanis Idem dat. 4. Junii 1507. Incipit: *Etsi ad universos*: est 12. ibid. in n. 8. & Camaldulensibus LEO X. dat. 2. Jul. 1513. Incipit: *Etsi à Summo*. est 2. ibid. in. num. 10. Et per privilegium concessum Ordini Prædicatorum à Julio II. per Bullam authenticatam, ut refertur in Comp. Minor. V. Appellare n. 3. & in Summario Privilegiorum Ordinis Prædicatorum, Romæ impresso 1670. pag. 84. dat. 18. Mart. 1505. Incipit: *à fide dignis*. Nostri nequeunt appellare à mandatis, & Ordinationibus Superiorum Societatis. Judices verò districtè prohibiti sunt, appellationes hujusmodi recipere, aut  
 illas

illas cognoscere, sub pœna excommunicationis; & quicquid secùs attentari contigerit, irritum est, atque inane. Et per aliud Cisterciensibus in Lusitania concessum per Bullam à Clem. VIII, & habetur in Libro Privilegiorum ejus Congregationis, Nostri sub excommunicatione ipso facto interdicitur appellare, nisi à Prælati Ordinariis ad Generalem Præpositum, & ab hoc ad Congreg. Generalem: à qua, non nisi in casu injuriæ, ad solam Sedem Apostolicam appellare licet.



## BENEDICERE.

§. I.

*Præpositi & Rectores possunt benedicere Ecclesias, & in usum Societatis tantum.*



Er facultatem Minorum de Observantia, possunt omnes Præpositi ac Rectores Cœmeteria, & Ecclesias, & Oratoria Societatis, pro ejusdem Societatis usu tantum, solemnibus benedictione benedicere. Concessit LEO X. per Bullam, datam 3. Febr. 1514. Incipit: *Religionis honestas*: 6. in Bull. Regularium.

*Hac*

no  
ser

be  
fac  
na  
Ju  
sti

2.  
nis  
os  
ba  
Bu  
Ac  
lar  
Vi

Ac  
di  
Po  
Cl  
Il  
ra  
re  
X  
Ca  
pi